



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 13. Falsam quandam historiam à Petro Victorio pro vera traditam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Magni vxor, eodem modo vt Phædra, Crispum priuignum suum accusauit, itaque imperator optimus, sed hac quidem in re non satis consideratus, immerentem filium morte multauit. idemque postea, re cognita, etiam de vxore supplicium sumpsit. Sunt & alia duo exempla non dissimilia in libro De Fluminibus, qui Plutarcho tribuitur; in Hebro, & in Lycorma.

Falsam quandam historiam à Petro Victorio pro vera traditam esse. CAP. XIII.

FALSVM est, quod Victorius tradidit libro duodecimo Variarum lectionum, extitisse quendam capitalem importunumque hominem Athenis, qui dixerit, se, dum regno Athenarum viro die potiri posset, nullum supplicij genus recusaturum: passurumque æquo animo, vt acerbissimis cruciatibus postea afficeretur: omnisque ipsius familia funditus periret. Nam quod putauit id Plutarchum in Solone dicere: declarauit exemplo suo, quamuis eruditos homines excutire & παρορᾶν, vbi aliquid conuiuentes legunt. Nihil enim tale Plutarchus, quale Victorius credit, narrat; tantum, Solonem, cum delatam sibi à ciuibus suis tyrannidem maximo animo reiiceret, & aspernaretur: à multis reprehensum esse, & parum sanæ mentis habitum. aiebant enim, eum, si saperet, accepturum fuisse tyrannida, vel propositis iis conditionibus quas supra exposuimus. Ergo eos reprehensorum suorum sermones his versibus trochaicis includit Solo:

Οὐκ ἔφθι Σόλων βαθύφρων, ἐδὲ βελότης ἀνὴρ.
 Ἐθλὰ γὰρ θεῶν δίδονται, αὐτὸς δὲν ἐδέξατο.
 Πιστεῖα δ' ἄρχαν, ἀρχούτης ἐκ ἀνέσπασε μέγα.

B 4 Δικτυον

Ant. Mureti
 Variarum lectionum
 LIB
 23

Δίκπον, θυμὸν δ' ἀμείψτων, ἢ φρενῶν ἔποσθαλαίς.

Ἡδὲλα γὰρ κεν κερτίσας, πλεῖρον ἄφρονον λάβειν,

Καὶ περὶ γνώσας Ἀθηνῶν μῖνον ἡμέραν μίαν,

Ἀσκὸν ὕπερον δεδάρθαι, κ' ἀπιτερέθθαι χυθῶ.

Neque ego hæc indicarem, nisi viderem, periculum esse, ne quis Victorij testimonio fretus, ne quaerendum quidem amplius putaret, vera essent, an minus.

Aristotelem in Hippodamo reprehendere do parum bona fide versatum esse. CAP. XIII.

VIDETUR Aristoteles interdum non satis bona fide retulisse eorum sententias, quos redarguere ac reprehendere statuisset. cuius rei liber nunc exemplum proferre vnum, ex quo de multis similibus coniectura fieri possit. Etenim lib. 2. Πολιτικῶν, ubi exagitat eam reip. formam quæ ab Hippodamo Milefio descripta erat, ait civitatem ab eo distributam esse in tres partes; nempe in artifices, in agricolas, & in milites. Κατετιθέσθαι δ' ἔφη, τὴν πόλιν τὸ πρῶτον μὲν μωκῶνδρον, εἰς τρία δ' ἔμμεν διηρημένω. ἐποίει γὰρ ἐν μὲν μέρει, τεχνίτας: ἐν δ' ἑτέρῳ, γεωργούς, τρίτῳ δ' τὸ πολεμικόν, ἢ τὸ ὅπλα ἔχον. quod si verum esset, inscianter sanè, & imperitè se gessisset Hippodamus, qui civitatem sine consilio, tanquam corpus sine animo esse voluisset. at verò non ita inconsultus fuerat. extant enim magna ex parte leges ipsius, quæ Aristotelis, hac quidem in re, singularem quandam improbitatem manifestò patefaciant. Descripserat autem ille civitatem tres in partes, quarum primam fecerat eorum qui consilio temp. gubernarent: alteram eorum, qui eandem armis defenderent: tertiam ex iis constituerat, qui artes necessarias exercerent. atque in hanc postremam, & opifices, & agricolas, & mercatores incluserat. Id aded prolatis ipsius verbis